

## **VERBUM BONUM ET SUAVE**

1. Verbum bonum et suave,  
personemus illud „Ave“,  
per quod Christi fit conclave,  
virgo, mater, filia;
2. per quod „Ave“ salutata  
mox concepit fecundata  
virgo, David stirpe nata,  
inter spinas lilia,
3. ave, veri Salomonis  
mater, vellus Gedeonis,  
cuius magi tribus donis  
laudent puerperium,
4. ave, solem genuisti,  
ave, prolem protulisti, ave,  
mundo lapso contulisti  
vitam et imperium,
5. ave, mater Verbi summi,  
maris portus, signum domi,  
aromatum virga fumi.  
angelorum domina;
6. supplicamus, nos emenda,  
emendatos nos commenda  
tuo nato ad habenda  
sempiterna gaudia.

## **VINUM BONUM ET SUAVE**

1. Vinum bonum et suave,  
bonis bonum, pravis prave,  
cunctis dulcis sapor, ave,  
mundana laetitia.
2. Ave, felix creatura,  
quam produxit vitis pura,  
omnis mensa fit secura  
in tua praesentia.
3. Ave, color vini clari,  
ave, sapor sine pari,  
tua nos inebriari  
digneris potentia.
4. Ave, placens in colore,  
fragrans in odore,  
ave, sapidum in ore,  
dulce linguae vinculum.
5. Ave, sospes in molestis,  
in gulosis mala pestis.  
Post amissionem vestis  
sequitur patibulum.
6. Monachorum grex devotus,  
omnis ordo, mundus totus  
bibunt adaequales potus  
et nunc et in saeculum.

## CARMEN PRESTET

1. Carmen prestet Deus celi,  
v némž by to byl rozum celý  
describendi varia.

Qui suevimus sepe radi,  
jedli bychom často rádi,  
sed ubi cibaria?

2. Non dolore sine gravi,  
nemámet' ižádné krávy  
neque volatilia.  
In reprobum sensum dati  
nechtiť nám nic darmo dáti,  
quare agunt talia?

3. Cohors nostra numquam leta  
byla-li by tohoto léta,  
nisi vestra gracia  
jungens, carnes, pisum pani  
i dali nám jako páni  
pia subventamina.

4. Famem, sitim sepe passi,  
propili jsme kukly i pásy  
pre grandi penuria.  
Dominante nobis siti  
takměr nikdy nejsme syti,  
patimur crudelia.

5. Sacra nam finita missa  
prázdna jest vždy naše mísa,  
horrent hinc precordia.  
Residentes sepe soli  
jedli bychom i bez soli  
tristes pre inopia.

6. Nos heredes nostre case,  
když nemáme, ktož nám káže  
facere convivia.

Nullius sunt verba doli,  
bysme zběhalí hory i doly,  
in vanum fient omnia.

7. Mente fixi velut rota,  
tak vždy bydlí naše rota  
cum tota familia:  
transfretantes multa vada,  
tot' jest hrozná naše vada  
quod desunt victualia.

8. Tale carmen vobis cudi,  
již nevieme sami kudy,  
que sunt placibilia.  
Deo dante sumus sani,  
uvezemt' i beze saní  
vestra nunc donaria.

9. Que donate nobis leti,  
netřebat' jest k tomu dáti  
preclara potagia.  
O plebani, o prelati,  
nerače nám z toho láti,  
quod legamus vilia.

10. Ita sumus contemplati,  
což nám dáte, buoh odplatí  
dando centuplicia.  
Non licet nomen preterisse  
z Zléchovat' sme tovarišie  
vestri semper ad omnia.

## MATER NATAE MARITUM ELIGIT

Filia, si vox tua,  
vellem te laudare,  
curialem socium  
vellem tibi dare.

Filia, vis militem  
bene equitantem?

Nolo mater cara,  
nolo mater cara,  
quia non sum sana.

Milites in bello,  
nunquam sunt in domo,  
et eorum gladii,  
et eorum gladii,  
semper sunt acuti.

Filia, vis monachum,  
bene kukulatum?

Nolo mater cara,  
nolo mater cara,  
quia non sum sana.

Monachi post primam  
currunt ad coquinam,  
panes eis dantur,  
panes eis dantur,  
caseum furantur.

Filia, vis rusticum,  
nigrum et turpissimum?  
Nolo mater cara,  
nolo mater cara,  
quia non sum sana.

Rustici quadrati,  
semper sunt irati,  
et eorum corda,  
et eorum corda  
nunquam letabunda.

Filia, vis clericum  
bene literatum?

Nolo mater cara,  
nolo mater cara,  
quia non sum sana.

Clericorum pueri  
semper sunt superbi,  
et eorum matres,  
et eorum matres  
dicuntur meretrices.

Filia, vis scolarem  
bene literatum?

Volo mater cara,  
volo mater cara,  
quia iam sum sana.

## SCHOLARIS A MATRE PECUNIAM PETIT

Rivulus hoc fonti delegat, virgula trunco:  
mater, amans filius hoc tibi mittit ave.  
Quae non compatitur, quae non succurrit egenti  
nato, praesumit degenerare parens.  
Me tua Parisios pietas legavit ut eam,  
ingenium studii fructificaret ope.  
Indigeo, me pauperies premit anxia, nummi  
desunt, esuriens aere crumena vacat.  
Plurima constringunt me debita, cuncta tenentur  
pignora: sic careo vestibus, aere, libris.  
Cogit pauperies me mendicare, coactus  
discedo studiis, cogit amara fames.  
Me circumveniunt quam plurima debita, perstat  
creditor, exigit fenus, amicus abest.  
Me colit integritas fame, non scorta frequento,  
non talos didicit concelebrare manus.  
Doctores inhiant manibus, collecta magistri  
exigit. Heu, quid agam? Creditor omnis abest.  
Nec quot habet coelum stellas, quot arena lapillos,  
nec mala quot patior dinumerare queo.  
Ergo stude matrem redolere! Vocabula matris  
degenerant quae non testificatur opus.

NB: Všechny veršíky na příštím semináři zřejmě přečíst nestihneme (je ale možné, že ano!), proto si prosím připravte tolik textu, kolik stihnete během Vaší obvyklé přípravy.